



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

359. De arboribus & fontibus & lapidibus dæmonibus consecratis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

Burchard. lib.
10. c. 30.

futurorum vel invocatores dæmonum, vel divinos, quos ariolos appellant, vel aruspices, qui auguria colligit, consuluerit, capite puniatur.

De eadem re. *Ex Pœnitentiali.*

Burchard. lib.
10. c. 31.

CCCLV. Quicumque nocturna sacrificia dæmonum celebraverint, vel incantationibus dæmones invocaverint, capite puniantur.

CCCLVI. Qui auguriis vel divinationibus inserviunt, quinque annos pœniteant. Immissores tempestatum septem annos pœniteant.

Rhab. epist.
ad Heribald.
c. 30.
Burchard. lib.
10. c. 24.

CCCLVII. Mulier, si divinationes vel incantationes diabolicas fecerit, annum unum pœniteat, vel tres quadragesimas, vel quadraginta dies secundum qualitatem delicti.

Ex eodem.

Burchard. lib.
10. c. 9.

CCCLVIII. Auguria, vel sortes quæ dicuntur falsè sanctorum, vel divinationes, quæ eas observaverit, vel quarumcunque scripturarum, vel vota voverit vel persolverit ad arborem, vel ad lapidem, vel ad quamlibet rem excepto ad Ecclesiam, omnes excommunicentur. Si ad pœnitentiam venerint, Clerici annos tres, laici unum & dimidium pœniteant.

De arboribus & fontibus & lapidibus dæmonibus consecratis. *Ex Concilio Nannetensi.*

Concil. Nannet.
c. 20.
Burchard. lib.
10. c. 10.

CCCLIX. Summo decertare studio debent Episcopi & eorum ministri ut arbores

dæmonibus consecratæ, quas vulgus colit & in tanta veneratione habet ut nec ramum nec furculum inde audeat amputare, radicitus excindantur atque comburantur. Lapidés quoque, quos in ruinosis locis & silvestribus dæmonum ludificationibus decepti venerantur, ubi & vota vovent & deferunt, funditus effodiantur atque in tali loco proiciantur ubi nunquam à cultoribus suis venerari possint. Et omnibus adnuntietur quantum scelus sit idolatria, & qui hæc veneratur, & colit, quasi Deum suum negat, & Christianitati abrenuntiat; & talem pœnitentiam inde debet suscipere, quasi idola adorasset. Omnibusque interdicitur ut nullus votum faciat, aut candelam vel aliquod munus pro salute sua rogaturus alibi deferat nisi ad Ecclesiam Domino Deo suo. Scriptum est enim: *Vovete & reddite Domino Deo vestro.* Novimus siquidem quanta Dominus antiquo populo per Prophetas suos interminatus est, qui in lucis sacrificabant, & in excelsis immolabant. Si quis hæc transgressus fuerit, fidem perdidit, & est infideli deterior. Et idcirco omnimodo à sanctæ Ecclesiæ consortio abscidatur, & nisi dignè pœnituerit, non recipiatur.

De eadem re. *Rabanus.*

CCCLX. Nam de his qui dæmonibus immolant, Theodori Episcopi constitutiones habemus, in quibus scriptum est: *Qui immolant dæmoniis in minimis, annum unum pœniteant. Qui verò in magnis, decem annos pœniteant.*

Rhab. epist.
ad Heribald.
c. 30.
Burchard. lib.
10. c. 13.